

tioni interposita: tunc enim iudex ad quem cognoscit quidem super iustitia, vel illegitimitate appellationis; si tamen hanc illegitimitatem seu frivolam pronuntiaverit, oportet, ut causam ejusque executionem ad iudicem a quo remittat, juxta c. *Ut debitus*. 59. h. t. etc. *Cum appellationibus*. eod. in 6. estque jam dictum supra n. 131. et 235.

241. *Et quid observetur in curia romana?*— In curia tamen Romana, utpote ad quam ex universo orbe christiano, in causis spiritualibus immediate potest appellari, imo et in prima instantia negotium principale proponi, can. *Cuncta per mundum*. 9. q. 3. cum similibus, talis remissio locum non habet. Etenim stylus habet, ut litigator, pretendens ex quovis capite habere rem judicatam, adeat signaturam iustitiæ, eique porrigat supplicem libellum executionis, seu commissionis executorialis: qualis postea expediri consuevit datis executoribus, qui sententiam in curia Romana latam, postea exequantur in partibus. Scaccia, d. quæst. 11. n. 472. et alii.

242. *Limitatur etiam, quando sententia transit in rem judicatam ob non presentatam superiori appellationem inter legitima tempora.*— Limitatur secundo, quando sententia, a qua fuit appellatum, transit in rem judicatam ob non presentatam superiori appellationem inter legitima tempora: quia tunc iudex a quo, qui tulit sententiam, pronuntiabit causam esse desertam, conformiter dictis supra n. 195. et deinde exequitur sententiam. Scaccia cit. quæst. 11. n. 166. post Francum c. *Romana*. § fin., n. 3. *de Appellat.* in 6; Mandosium in *Formul. Commiss.* in commiss. 23. §. *Ob non prosecutionem*, et alios.

243. *Et quando appellatio fuit deserta per lapsum fatalium, ad ejus prosecutionem statutorum.*— Atque istud ampliatur ad eum casum, quo iudex ad quem declarat, appellationem esse desertam per lapsum termini, seu fatalium ad ejus prosecutionem statutorum: quia tunc potest iudex a quo reassumere causam, ipsamque exequi. Ratio est, quia in tali casu sententia non confirmatur ex declaratione iudicis ad quem (seu per sententiam interlocutoriam declarantis, appellationem esse desertam) sed ipsa confirmatur ex lapsu temporis dierum fatalium; ut loquitur Bartolus, in l. *A divo Pio*. n. 15. *de Re judicat.* et Scaccia cit. quæst. 11. n. 167. et seqq. allegans alios.

244. *Acta prioris instantiæ, quæ? Sub his*

etiam comprehenditur sententia.— Quæritur III. A quo, hujusque expensis, acta prioris instantiæ transportanda sint ad iudicem appellationis? Ubi sciendum, quod per « Acta prioris instantiæ » intelligantur scripturæ de his factæ, quæ apud priorem iudicem acta sunt, vel dicta. Glossa in l. *Acta apud*. §. *Acta*. ff. *de Re judicat.* Atque de his fit mentio in c. *Quoniam contra*. 11. *de Probation.* illis verbis: « Qui fideliter universa iudicii acta conscribant: videlicet, citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, et interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, et cætera, quæ occurrerint. » Atque istis addendam esse sententiam, ita ut etiam hæc appellatione *Actorum*, seu processus comprehendatur; monet Abbas cit. c. *Quoniam contra*. n. 5. eod. et Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. actu 10. tit. *de Actorum editione*, ponderando in relato textu ly, « Et cætera quæ occurrerint. » Concordat Glossa in l. *In fraudem*. §. *Nihil*. §. *Neque acta*. et Bartolus, ibid. ff. *de Jure fisci*. Quo prænotato.

245. *Regestum, sive extractus actorum primæ instantiæ, fit ad instantiam partis, ejusque expensis.*— Resp. I. Regestum, sex extractus actorum primæ instantiæ, fit ad instantiam partis, et præcedente mandato iudicis, atque expensis illius, ad cujus instantiam fit regestum. Ita Baldus et Paulus de Castro, l. *Is apud quem*. 2. n. 2; et Decius, n. 10, c. *de Edendo*; Maranta cit. part. VI. actu 10. n. 55. istud probans per textum in cit. l. *Is apud quem*, et alii; quamvis Scaccia, quæst. 20. *de Appellatione*. n. 34. istud iudicis præceptum notario faciendum, de necessitate non requiri asserat.

246. *Acta prioris instantiæ, et quidem omnia, debent per appellansem suis sumptibus transportari ad iudicem appellationis.*— Resp. II. Non solum acta illa, quæ justificant validitatem appellationis; puta, quod quis intra legitima tempora appellaverit, et apostolos petierit: sed etiam acta omnia, quæ facta sunt circa merita causæ in prima instantia, debent per appellansem suis sumptibus transportari ad iudicem appellationis. Ita Scaccia cit. quæst. 2. n. 8. post Baldum in l. *Is apud quem*. c. *de Edendo*, et alios. Ratio est, quia iudex appellationis non potest iudicare ex actis primæ instantiæ, nisi producantur: et si iudicaret eisdem non vi-

sis, perverteret ordinem iudicii. Quinimo, si iudex appellationis ferret sententiam non visis, neque transportatis, actis, sententia foret nulla; uti cum aliis notat Scaccia, loc. cit. n. 11. ac loquendo in actis probatoriis, tenuit Rota die 13. februarii 1689: in una Anconitata pecuniaria, coram R. P. D. Sacrato.

247. *Notabilis textus concilii Tridentini quoad hoc.*— Concordat concilium Tridentinum sess. 24. cap. xx. *de Reformat.* id ipsum expresse statuens, illis verbis: « Præterea, si quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit; teneatur acta omnia, coram episcopo gesta, ad iudicem appellationis expensis suis transferre; eodem tamen episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit iudici appellationis significare. » Et infra: « Porro ipsam actorum copiam teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, et ad minus inter mentem exhibere, » etc. Hactenus concilium Tridentinum.

248. *Solvitur instantia.*— Nec obstat contraria quorundam sententia apud Scacciam cit. quæst. 20. n. 8. asserentium, quod absurdum sit, appellansem suis sumptibus teneri ad producenda acta, quæ faciunt pro adversario, et contra se. Resp. enim, istud neququam esse absurdum in casu, quos is appellat: quia non tenetur simpliciter ac præcise ad hoc, ita ut cogi possit ad transportanda acta sibi contraria; sed solum causative, ac ex hypothesi, quod a iudice ad quem velit obtinere revocationem prioris sententiæ, contra ipsum lata a iudice inferiori.

§ IX.

DE ATTENTATIS APPELLATIONE PENDENTE,
HORUMQUE REVOCATIONE.

249. *Attentatorum nomine, quid intelligatur?*— Quæritur I. Quid intelligatur nomine *Attentatorum*, præsertim appellatione pendente? Resp. I. *Attentata* in proposito idem sunt, ac innovata contra jus lite, seu appellatione pendente. Ita desumitur ex rubrica, totoque titulo, « Ut lite pendente nihil innovetur: » juncta rubrica, et l. un. ff. « Nihil novar' appellatione interposita; » cum similibus.

Quamquam ly, « *Attentata*, » esse vocabulum interpretum, non jurisconsultum, notet Spiegelius in *Lexico Juris*. §. *Attentata*: nam in jure talia appellantur, « *Innovata* post appellationem; » ut c. *Non solum*. 7. h. in 6. non vero « *Attentata*. »

250. *Attentatum potest accipi et pro facto, et pro jure.*— Additur vero, « *Attentata* in proposito, » videlicet, prout attentatum sumitur pro facto, quo aliquid appellatione, seu lite pendente, innovatur contra jus. Siquidem attentatum potest etiam accipi pro jure, prout in simili usufructus, usus, servitus, ac hujusmodi, possunt accipi et pro facto, et pro jure. Atque in hac acceptione « *Attentatum* » est jus revocandi innovata, lite, seu appellatione pendente. Franciscus Herculanus, tom. V. *Tractatum*. tract. *de Attentatis*. cap. III, n. 1. et 3. Abbas c. *Bonæ memoriæ*. 51. n. 6. et 20. istud appellans « *Remedium attentati*; » et alii. In proposito tamen, attentata præcipue sumuntur pro facto innovato contra jus lite, vel appellatione pendente.

251. *Ubi nihil innovatur non dicitur Attentatum. Attentare non dicitur, qui facit actum continuativum.*— Et dicitur « *innovato*. » Quia si nihil innovatur (hoc est, si non aliquid novi fiat, quod antea inceptum non fuerat) non vocatur « *Attentatum*, » sed magis continuativum. Herculanus cit. cap. III. n. 4. et 5. Concordat Sigism. Scaccia, quæst. 3. *de Appellat.* n. 70. post Rotam decis. 44. alias 344. n. 1. *de Appellat.* in nov. Francum c. *Cum teneantur*. 17. n. 1. h. t. et alios, dicens, quod « *attentare* » non dicatur is qui facit actum continuativum, hoc est qui continuat actum præcedentem: quia lis seu appellatio, non debet quemquam sua possessione privare; neque tenetur quis dimittere jus suum, vel desistere a continuatione sui juris, aut possessionis propter aliquam appellationem: imo desiperet, si hoc faceret. Rota cit. decis. 44. n. 2. *de Appellat.* in nov. Herculanus d. cap. III. n. 6. et alii.

252. *Attentata, lite, vel appellatione pendente an differant?*— Coniunguntur autem simul, « *Attentata lite, vel appellatione pendente*. » Quia in effectu non differunt, licet possit aliqua differentia notari quoad suam causam efficientem. Nam attentata pendente appellatione, respiciunt personam iudicis, cum scilicet adeo attentata sunt: quæ vero fiunt pendente lite, respiciunt personam adversarii, quia nimirum ab ipso

vata. Menochius de *Recuperanda possessione*. remed. 17. n. 43. post decium in c. *Consuluit* il. 2. n. 5. de *Appellationibus*.

253. *Attentatum dici nequit, quod fit lege permittente.* — Additur ulterius n. 249. in definitione attentati, *contra jus*. Quia, quod fit lege permittente, pœnam non meretur, l. *Grachus*. C. de *Adulteriis*: sicque nec « *Attentatum* » dici potest, utpote quod sonat in malam partem. Unde quando iudex a quo statuit appellandi terminum ad recipiendum apostolos, vel ad prosequendum appellationem, aut huiusmodi, juxta c. *Personas*. 4. h. t. et Clem. *Quamvis*. eod. non censetur attentare; haud obstante, quod innovet aliquid post appellationem: quia jure permittente istud facit. Idem dicendum de aliis, quæ juvant ad faciliorem expeditionem causæ appellationis: nam ista expediendo post interposita appellationem, non censetur iudex aliquid innovare, seu attentare; juxta c. *Cum teneamur*. 17. ubi. Abbas, Imola, Francus, Decius h. t. junctis dictis supra n. 220.

254. *Idque exemplificatur.* — Insuper, si post appellationem interpositam timeatur de dilapidatione fructuum, rei actori adjudicata, non dicitur innovare, seu attentare iudex, qui facit eos sequestrari: possunt enim tunc sequestrari fructus jure permittente, can. *Quoties*, post. 2. q. 6. et l. *Ab executione* c. *Quorum appellat. non recip.* et cap. ult. de *Sequest. possess.* Speculator, tit. de *Appellatione*. § *Novissime*. n. 1. Herculanus ubi supra n. 7. et seqq. apud quos nonnulli alii tales casus reperiri possunt.

255. *Attentata pendente appellatione a sententia diffinitiva, sunt ipso jure nulla.* — Quæritur II. Utrum attentata pendente appellatione sint nulla, et qualiter revocentur? Resp. I. Licet attentata pendente appellatione a sententia diffinitiva, ipso jure sint nulla: istud tamen intelligitur parte adversa volente nullitatem eorum, seu revocationem attentatorum legitime urgente. Ita desumitur ex c. *Non solum*. 7. h. t. in 6. ponderando verba illa, « penitus revocari: » ac notat Barbosa, ibid. n. 5; *Dilectis*. 55. n. 13. et 14. h. t.; Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 56. n. 63. et seqq. et alii. Accedit ratio, quia appellatio eximit appellantem a jurisdictione iudicis a quo quoad causam illam, a cujus sententia appellatum est; ergo, quidquid interim iudex a quo circa eam innovat, seu attentat, censetur factum a iudice incompe-

tente; sicque ipso jure invalidum, c. *At si Clerici*. 4. de *Judiciis*, cum similibus.

256. *Dummodo pars adversa debite petat revocationem ipsorum.* — Intellige tamen datam conclusionem de appellatione a sententia diffinitiva, non de appellatione ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali ob dicenda n. 263. et 264. Insuper ipsam intellige « parte adversa volente: » hoc est, dummodo pars adversa velit nullitatem huiusmodi attentatorum, ac proinde debite petat ipsorum revocationem. Alioquin enim censeretur tacite eadem approbare, atque juri suo renuntiare: quod facere non prohibetur, c. *Si diligenti*. 12. de *Foro competent.* cum similibus.

257. *Ad revocationem attentatorum duplici via proceditur.* — Resp. II. Ad revocationem attentatorum duplici via principaliter proceditur; ordinaria videlicet, ac extraordinaria. Ita Herculanus cit. tract. de *Attentatis*, cap. XIV, n. 16. et 17; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*, tit. de *Appellat.* n. 407. hoc ipsum, sed sub aliis terminis tradens, dicendo, quod « attentata revocantur duplici via: uno modo, implorando principaliter officium iudicis super ipsorum revocatione. Secundo modo, accessorie, prosequendo appellationem. » Ita Maranta.

258. *Via ordinaria.* — Porro « via ordinaria » proceditur ad revocationem attentatorum, quando instituitur directa petitio revocationis attentatorum simul cum causa principali: et tunc non illico revocantur attentata, sed expectatur finis litis. Atque hæc via ab Herculano, ubi supra, post Vestrium in *Prætic.* lib. VIII. tit. « *Ut lite pendente,* » etc. dicitur « *Modus revocandi attentata per viam injustitiæ:* » atque etiam locum habet appellatione deserta; quanquam tunc requiratur oblatio libelli, una cum aliis requisitis ad processum judicarium. Habet quoque locum, quando petitur accessorie revocatio innovatorum, prosequendo appellationem, juxta Marantam, loc. cit.

259. *Via extraordinaria seu per remedium attentati.* Appellans potest simul prosequi causam appellationis, et attentatorum; ac potest etiam prosequi solam causam attentatorum. — At vero « via extraordinaria » proceditur ad revocationem attentatorum, principaliter implorando officium iudicis super eorum revocatione. Atque istud dicitur fieri per « *Remedium attentati,* » quo proceditur extra ordinem, seu iudici ordine non servato; dum

magis properantes ad ipsorum revocationem, petunt, per officium iudicis mercenarium attentata ante omnia revocari. Atque per hanc viam resultat effectus suspensivus, ut interim taceatur in negotio principali, donec attentata post sententiam diffinitivam, ante omnia fuerint revocata; ut cit. c. *Non solum*. h. t. in 6. et notat Herculanus, d. n. 17. citans alios. Accedit Sigism. Scaccia, quæst. 15. de *Appellat.* n. 65. asserens, quod licet appellans possit appellationem suam, et negotium principale, atque causam attentatorum simul prosequi, juxta dicta n. præced. tamen ad hoc non ardetur: imo a lege sibi indultum existat, ut ante omnia audiat super attentatis. Rota decis. 15. alias 102. de *Appellat.* in nov. et decis. 79. alias 448. de *Appellat.* in antiq. Abbas c. *Ex ratione*. n. 8. et Decius, ibid. n. 38. et Felinus, n. 4. h. t. et alii.

260. *Petens revocari attentata, quæ tenetur probare?* — Notandum tamen cum Glossa in d. c. *Non solum*. §. *Ante omnia*; Mascardo de *Probation.* concl. 1285. n. 1. et seqq.; Pirhing, h. t. n. 242. et aliis, quod petens revocari. Attentata, teneatur tria conjunctim probare. I. Quod fuerit diffinitive pronuntiatum; hoc est, quod si lata sententia diffinitiva. II. Quod ab hac fuerit appellatum, et quidem jure non prohibente: ut in textu ibid. III. Quod postea aliquid fuerit innovatum, sicque attentatum. Quibus adde post Marantam cit. tit. de *Appellatione*. n. 403. et Herculanum, d. cap. XIV. n. 17. et aliis, quod ad revocationem attentatorum etiam requiratur partis citatio. Hinc quippe Attentata dicuntur revocari causa cognita; ut post Innocentium in c. *Cum M. de Constitut.* et Albericum, in *Dictionar.* §. *Attentatorum revocatio*, tradit Hieron. Manfredus, tom. V. *Tractatum*, tract. *Super attentatis*, et. lib. IV. concl. 59.

261. *Attentata pendente appellatione a diffinitiva, revocantur ante omnia per remedium attentati.* — Resp. III. Attentata pendente appellatione a diffinitiva, revocantur ante omnia per « *Remedium attentati;* » intelligendo istud etiam de illis, quæ medio tempore inter sententiam et appellationem ante lapsum decendii innovata, seu mutata fuerunt: dummodo hinc excipiantur casus, in quibus jura post sententiam appellare prohibent. Ita Covarruvias *Prætic.* quæst. cap. XIV, n. 1; Scaccia, quæst. 3. de *Appellatione*. n. 47. et 48; Pirhing, h. t., n. 241 et alii.

Idque probat textus in c. *Non solum*. 7. § 1. h. t. in 6. cujus verba superius n. 207. referuntur, atque amplius declarantur.

262. *Secus, quando ad eorum revocationem proceditur per viam ordinariam.* — Additur tamen, per « *Remedium attentati:* » sive, quando ad eorum revocationem proceditur via extraordinaria. Secus enim dicendum, quando ad revocationem attentatorum proceditur via ordinaria; sive post appellationem jam desertam agendo ad ipsorum revocationem per viam injustitiæ; seu accessorie prosequendo videlicet appellationem, sicque eorum revocationem petendo. Tunc enim attentata non revocantur ante omnia, sed debet expectari finis litis, ut jam dictum n. 258.

263. *Et loquendo de attentatis post appellationem ab interlocutoria; vel gravamine.* — Additur ulterius, « *attentata pendente appellatione a diffinitiva,* » etc. Quia secus est dicendum de appellatione, quæ fit ante diffinitivam sententiam; puta, si appelletur ab interlocutoria, vel a gravamine: quia tunc innovata, vel attentata non revocantur ante omnia, sed debet prius justificari causa appellationis, et hac probata demum revocantur: nisi forsan post inhibitionem, debito modo a iudice superiore factam, attentata faissent. Textus est in cit. c. *Non solum*. § *Illa vero*. h. t. in 6. sic loquens: « *Illa vero, quæ post appellationem interpositam ante diffinitivam sententiam innovantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent: nisi iudex appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem emissam, ex causa probabili fore ad se negotium devolutum) inhibeat canonice iudici, a quo appellatum est, ne procedat: tunc enim quidquid post inhibitionem huiusmodi fuerit innovatum, est (licet causa eadem non sit vera) per eundem appellationis iudicem, ante omnia in statum pristinum reducendum.* » Hæc ibi.

264. *Disparitas notabilis inter appellationem a sententia diffinitiva, et ab interlocutoria, vel gravamine.* — Ratio disparitatis est. Quia per sententiam diffinitivam, atque interpositam appellationem ab ea, expirat, vel saltem suspenditur officium iudicis a quo respectu illis causæ; atque hæc tota statim devolvitur ad iudicem ad quem, absque alia justificatione causæ appellandi: unde si iudex a quo ultimus se immisceret causæ illi, procederet sine jurisdictione, sicque invalide ageret. Secus